

30  
Psal. CXXIV: 8.

עזרנו בשם יהוה עשה שמי

ותרץ

SPECIMEN ACADEMICUM

De

**MATRIMONIO  
HONORARIO**

Quod

*Pro honoribus Philosophicis,*

PRÆSIDE

VIRO cl.

Dn. Mag. **ALGOTHO  
A. SCARIN,**

Hist. & Philos. Civ. Prof. Reg. & Ord.  
ejusdemque Facult. Decano h. t.  
spectabili.

Ad diem 25 Junii MDCCXXXV.

*publico benevolorum judicio subjiciet*

**GUSTAVUS N. POLVIANDER.**

ABOÆ, exc. Joh. Kiämpe, R. Ac. Typ.

NOBILISSIME DOMINE,

SIMON LIND-  
HEIM

Regii, quod Aboæ est, Dicasterii ASSES-  
SOR consultissime.

A D. aram. benignitatis. TULÆ. Avuncule. &  
Patrone. expono. factum. ignobili. parente.  
& Musis. obstetricantibus. editum. Pagellas.  
puto. tumultuarias. que. quia. nitore. desti-  
tuuntur. a. splendido. TULLO. Nomine. decus. &  
honorem. conciliare. sibi. præsumunt. gloriam.  
â. Susceptore. aucupature. Accipe. queso. eas.  
perpetue. observantia. & animi. non. ingra-  
ti. neque. degeneris. obsides. TULLI. mihi. perpe-  
tuo. MÆCENAS. esto. meq;. Palladio. TULLI. no-  
minis. etatem. protege. conserva. Ego. pro. TULLA.  
beneficentia. indulgentia. atque. Cura. plane.  
paterna. uti. antea. sepe. ita. in. publicanda.  
hac. quodque. opella. mihi. gratiose. præstita.  
TULLI. ero. cliens. & pro. TULLA. incolumitate.  
apud. DEUM. bene. precari. nunquam. inter-  
mittam.

G. Polviander.



neg. Juegv.

**Q**Uum se præsens de *matri-*  
*monio honorario* opella,  
tibi L. B. candidoqve  
tuo examini atqve iudicio  
sistit, non abs re forte videris mi-  
rari atque exigere rationem, quam-  
obrem, præ aliis, in hac ipsâ materia  
ingenii vires experiri voluerim. Fa-  
ctum id esse fortuito & inopinato  
quodam casu ipsemet ingenue fate-  
or. Quum enim ob alia quæcunqve  
negotia, Aboa, ubi aliquantulum an-  
tea studiorum causa moratus fue-  
ram, denuo mihi visenda foret,  
præcipue duo, quæ postquã eo acces-  
sissem, mihi obvenerunt, in sumis Dei  
O. M. pono beneficiis: scilicet, quod  
ecclesiæ, ejusq; sacro ordini initiatus  
A fue-

2  
fuerim: pariterq; honoribus philoso-  
phicis ab amplissimo academiæ  
collegio illo quoque dignus sim  
habitus. quod posterius recusare  
tanto minus decuit, quanto in  
rei familiaris egestate & consilii ino-  
pia, qui re & opere præsto essent,  
non e longinquo abessent. Quum  
autem specimen aliquod etiam num  
mihi foret edendum, & argumen-  
tum, cujus in frontispicio memine-  
rim, oculis primum occurreret, ejus  
dignitate permotus, quantum ad  
illius illustrationem conferre pose-  
sent vires quantillæ ingenii mei, ex-  
periri adlubuit. Et quia neque tem-  
poris neque instituti habenda ratio,  
sinunt amplius consilium mutare,  
rogo te C. L. ut quæ in illo rerum  
articulo & temporis prope vestigio  
chartis indiligenter illeverim, favo-  
ri non omni tuo penitus & omnino  
indignâ censeas.

§. I.

**D**E notione vocis *matrimonii*, heic  
jam nullus est dicendi locus,  
qvip<sup>a</sup>



quippe quæ omnibus atque singulis  
 quam notissima esse præsupponitur.  
 Circa significatum autem nominis  
*honorarii* major fortassis aliquibus  
 se prodet difficultas. In primis ubi  
 viderint, quod in posterioribus est  
 exponendum, quod antelati in qui-  
 busdam fuerint, penes Romanos ali-  
 osque, qui liberos haberent, junio-  
 res, senioribus, neque uxorem ne-  
 que liberos habentibus. Qua ex ra-  
 tione autem, sequentibus inde tem-  
 poribus, sexagenarii cum quinquage-  
 naria, & alia ejusdem generis ma-  
 trimonia *honoraria* dicta fuerint,  
 forte non fallor, si dixerò exinde  
 arcessendam esse, quod per se satis  
 honoratis senibus privilegio & au-  
 thoritate ætatis suæ, ad majorem i-  
 psis dignitatem conciliandã non pa-  
 rum profuerit ille *honor*, quem  
 matrimonio ipsi haberent, cum le-  
 gibus illius se iterum iterumque  
 obstringerent; etiam licet ad po-  
 tiendum sine illo, qui hominum in  
 flore & fervore ætatis constitutorum


 prima-

primarius audit, ætas ipsis parum aut nihil reliqui fecerit. Quid? quod non magis incommode dicantur matrimonia ejusmodi *honoraria*, eo quoque sensu, quo honorarii vulgo appellantur, quibus character honoris quandoque sine functione conceditur. Conf. A. G. II. N. A. Lib. 2. cap. 15. & Puf. I. N. & G. Lib. 7. cap. 1. §. 25.

## §. II.

**P**ostquam ita brevibus notionem vocis indagavimus, propius ad ipsam rem accedere lubet, & ante omnia quid in dispicere, quid antiqui de conjugio senum judicaverint, quæque in præsentî materia prudentis & præ cæteris eminentis reipublicæ Romanæ consuetudo & sententia fuerit. Illam quod atinet, non negamus Papia Mutilo & Poppæo Romæ sub finem imperii Cæsarîs Octavii, ut loquitur Isid. apud Hoffmannum, lege cautum fuisse, ne matrimonia ejus generis,

quæ

*Comp*

quæ hodie *honoraria* appellantur, & de quorum notione paucis in præcedentibus egimus, licita essent. Sed quæ cautione auctores legis illius præcipue respexisse videntur conservationem reipublicæ, quæ uti non potuit non per crebras dissensiones atque lites, per bella tam quæ a civibus, quam quæ extrinsecus inferebantur, clades civium perferentiscere lamentabiles atque horrendas; ad quas statim & pro virili removendas, cum matrimonia, seculi illius vitio ad senilem ætatem sæpe dilata, ægre proficerent: inde de *maritandis ordinibus* Lex promulgata fuit, matrimoniaque, quæ in senio ineunda forent, ceu inepta fini socialitatis & reipublicæ adaugendæ, publice prohibita esse cœperunt. Factumque ut non sacrilegii modo semet obligare insimulati sint, quotquot honores & nomina majorum per se cessare cogere: non solum testamenti accipiendi jure defraudarentur, etiam licet

6  
licet genere proximi essent: sed & postponerentur maritatis candidatis in presentatione publicorum munerum, licet vel suffragia ad obtinendum, cœlibi favere potuissent. Contuberniorum & formicarum societatum invidioso nomine talia conjugia *patres* quoque primorum temporum Christianorum distinxisse nemo fere nescit. Hinc etiam, penes Romanos, viri multi præclari in ætate profecta cum juvenculis & immaturis puellis matrimonia ineuntes, multum dedecoris & damni fortunæ suis conciliasse leguntur. Quo faciunt omnia, quæ olim & hodie apud complures gētes, de maturandis nuptiis & pœnis eorum, qui easdem ad senium usque recusarent, statuta legimus.

§. III.

**E**Tiamnum in Scto Calvisiano, eadem interdictio repetita legitur; in matrimoniis scilicet eorum, qui omni spe prolis destituti videbantur. Sequentibus autem temporibus, quum



quum experientia ut plurimum doceret, neque ætati senili prorsus omnem spem proles esse denegandam, leges in prohibendis nuptiis eorum, qui ad sobolis procreationem primo intuitu inepti viderentur, adeo non rigide observabatur; quin contra eandem, sexagenario cum quinquagenaria, senibus cum puellis, & juvenibus cum vetulis matrimonia sæpenumero licita atque concessa fuerint. usque dum *Justinianus* Imperator in codice juris civilis sui, talia conjugia impediri prorsus vetuerit, Quæ eadem sententia juris quoque Canonici fuisse deprehenditur. Unde hodieque nullis moratorum populorum hujusmodi conjugia sunt illicita, quamvis subinde inter eosdem cum limitatione quadam admittantur.

#### §. IV.

**L**icet igitur plures reperiantur, qui hac nostra ætate matrimonia honoraria probent, non tamen desunt quam plurimi, quibus eadem  
non

non possunt esse honesta atque legitima. Inter eos autem, quos in tanta, quæ coarctatur temporis angustia, videre licuit, primo quidem loco mihi foret nominandus D. Jo. Fr. Buddeus in Th. Mor. p. 2. c. 3. sect. 6. §. 7. Verum quum nostri non ille fori sit; & dicam scribere viro consummatissimo plane religio nobis sit, judicio sui ordinis virorum eundem committimus. Verum quum loquatur vir reverendissimus de ejusmodi conjugio sub certa conditione, puta quum elumbis senex nubili & innuptæ puellæ adhinnire incipit (a) aut edentula anus amplexus sibi juvenis robusti conciliare non erubescit, quorum sine scandalo contubernium agre tolerari posse Politicorum patres quoque agnoscunt, de matrimonio honorario æquali aliter judicaturum fuisse nulli dubitamus, si de illo casu quoque, sententiam rogatus fuisset. Argumenta aliorum contradicentium heic producere, pro rati-

(a) Jer. V. 8.

one temporis, quæ partem, juvabit. Videtur palmaria eorum ratio deducta esse ab impotentia generandi & concipiendi. quo referre possis Gen. 18. 12. & testimonia poetarum, ejusmodi senum connubia deridentium. Omittimus vero nos exemplum Saræ, quippe utrum naturali vel supernaturali potentia Isaacum suum illa enixa sit, nobis jam disquirere non vacat. Interim etiam impugnatores connubii *honorarii* fateri coguntur, senibus non prorsus omnem spem sobolis esse denegandam, quum evincat experientia, atque exemplis innumeris contrarium stabiliri facile queat. Urgent alii senilem amorem hoc casu potius irritari quam sedari; quæ vero sententia ex antecedentibus facile destruitur. Si enim senes non impotentes sunt ad generandum, ætas eorum perinde opportuna erit, quæ cæteris finibus quoque potiatur. Qui vero asserunt vel evitacionem vagæ libidinis, vel  
 solum

solum mutuū adiutorium non sufficere ad finem matrimonii, iisdem, si ratione sana contenti esse noluerint, obvertere licebit ipsa Scripturæ dicta 1. Cor. 7: 2. 9. Gen. 2: 18. Et licet ad ipsam essentiam matrimonii præsertim requiratur utriusque sexus conjunctio, sobolis procreandæ causa: falluntur tamen, qui cessante illo fine, matrimonium a fornicatione nihil distare asserunt. quum longe alius sit finis fornicationis quam matrimonii. Modificatur in illo concupiscentia, & ad legitimū vinculum redigitur, teste Augustino. Illa, quæ ex dissimilitudine morum, imbeeillitate prolis conceptæ, in contrarium producuntur argumenta, tanti non sunt momenti vel ponderis, ut sententiam nostram destruere valeant. quum paria cum hisce læpe facere conjugia juvenum, quotidiana satis superque comprobatum eat experientia.

§. V.

**C**oncludere ergo ex hisce tuto & sine omni veritatis jactura licebit,



bit, matrimonium ejusmodi *honorarium*, de quo jam brevibus actum est, licet in singularibus casibus forte, ob prægnantes rationes alias atque alias sit identidē dissuadendum; ob deficientem unicū finem: sobolis procreationem forte, nullo modo *absolute* esse in probandū. quū ad legitimum matrimonium, cæteris paribus, vel solus sufficiat consensus. Memorabile hic est exemplum Davidis (a) quod ad roborandam sententiam nostram validum satis est putandum. Quumque ulla neque naturalis ratio, neque lex, sive Divina sive humana aliqua nuptias in extremo vitæ & naturæ humanæ articulo prohibeat, etiam licet una pars contrahentium alteram, spatio ætatis, quam longissime antecedit: absque certo verbo, hominum conscientias laqueos non esse injiciendos cum Chemnitio censemus. Constabit in hoc puncto, sicut in cæteris, veritas sua I. N. canoni isti: Quodcumque certa Lege

(a) 1. Reg. 1. 2.

nulla

nulla est prohibitum, neque ex genere malorum, sed permissorum esse, censendum est. Dicit etiam Clemens, quia Paulus dicit: *rursus convenite, ne tentet vos Satanas diabolus ἀνεργασίας*; Præterea D. Calov. in Bibl. Illustr. ad Gen. 2: 18. necessitatem conjugii nobis inculcat, non solum bonitatis & necessitatis suæ intuitu ad speciem humanam conservandam: sed etiam respectu individui, quia ad bene esse Adami faciebat consors ob vitæ societatem, suavem conversationem & mutuam adiutorium. illud quod in ærumnis, quæ ævi imbecillitatem hancce commitantur, *senectutis propugnaculum* etiam Cicero appellat. Videmus in conjugiiis eorum, qui in florenti ætate nuptias contraxerunt, licet sobolis procreatio & ἀνεργασία ab Apostolo indigitata cesset, mutuū tamen adiutorium in ætate ad senium vergente, quam maxime esse necessarium. Jam si finis ille, idemque solus in antea copulatis in causa sit, cur non dis-

dissolvatur eorum matrimonium, quare idem in conjugandis eodem fine tolerari nequeat, rationes video nullas. Necessitatem finis jus dare in moralibus, tralatitium est. Addo quod tanto magis licitum sit censendum *conjugium honorarium*: quanto senes exemplo præire melius possunt juventuti ad castitatem & temperantiam in omni vitæ munere sectandam, cujusmodi exemplum suo filio imitandum præivisse semet testatur Gejerus in testamento, quod moriens eidem scripserat. Quid? quod cum finis matrimonii perinde vita *civilis* sit, seu sollicita ad honestatem proles educatio: non sola *animalis* solum procreatio, quæ per vagos concubitus etiam procurari posse, quotidiana experientia, prohi dolor! locuples testis est: Ad illam vero *civilem* vitam, seu ut cum Paulo loquar: *ἡσυχίαν καὶ ἰσοστάσιον* penitus & omnino requiratur mutuum utriusque parentis adiutorium, præsertim si fœcunda prole matrimonium fuerit, pariterque aliæ non raro

ro caussæ intervenire possint, cur non alter conjugum se ad privatæ familiæ usus perinde dispensare queat: Qvis quæso! cum ratione negaverit, disturbata altera domus columna, aliam substitui posse: adeoque sublato e vivis altero conjugè, illum qui superstes fuerit, salvis conjugii limitibus, debere etiam aliquando novū superinducere, ad pulchritudinem vitæ hum: etiam sine nova spe prolis, in priores liberos, & mediantibus illis, in omnem posteritatem transmittendam? Hæc quidem fusius & solidius deduci potuisse, si justum ad id suppetiisset otium, non dubitamus; sed quum & temporis & rei familiaris angustia justam materiæ præsentis molem exhaurire jam non permittant, quæ pro ratione occasionis & facultatum breviter & concinne minus dicta sunt, candori & benevolentia Lectoris commendata sunt.

S. D. G.